

ipse Leotardus libenter admittit in dicta questione 74. numero 14. quo ad illum qui non est solitus negotiari; & post eum sic tenent Hermosilla dicta glos. 4. numero 320. & Carleval. dicta sect. 6. numero 97. & 103; in mercatore autem opinatur Leotardus sufficere probationem consuetudinis negotiandi; ad quod plures autoritates adducit. Sed hoc non semper procedit; nam ut Carleval. cum Colero, Afflic. Escobar, Scaccia, Hermosilla & aliis acutè, dixit d. numero 103. non ex eo quod aliquis mercator sit, inde certè inferatur, quod lucratur, imò quotidie plures mercatores foro cedunt; non solum non adquisito lucro, sed capitali etiam amisso, quia mercatura est exposita magno iacturæ periculo, fortè plus quam lucro. Ego enim distinguendum puto; itaut mercator qui apothecam venalium rerum apertam habet, refertam rebus vendibilibus, vel qui omni negotiationi vacat, & pecuniam destinatam habet ad commercium cunctarum rerum, in urbe vel oppido ubi negotia ordinariè geruntur, cum vero simile sit lucrum successivum à communiter contingentibus; ei ex mora debeatur juxta loci, & commercii qualitatè, si probaverit consuetudinem negotiandi modo prædicto. Cùm occasionem proximam, & continuatam habeat lucrandi successivè. In eo verò qui commercium exercet in his quæ ab exteris ad portus devolvuntur, vel in certa specie negotiationis, quæ ex sui natura intermissionem recipit, necessariam credo probationem occasionis proximæ, ut dici possit quod lucrum amiserit, ut tenuit Hermosilla dicta glos. 4. numero 315. & 318. qui alios adducit. Et cùm hæc omnia in facto consistant, secundum ea quæ probata fuerint regulari debet interesse dicta leg. quatenus 24. quod ex conventionem partium suppleri non valet, ut dixi absque usuræ, & fraudis suspitione. Et casu quo omnia requisita probentur, non debet iudex concedere universum lucrum, quod ex negotiatione dicitur posse adquiri, quia semper minimum sequi debet. Textus in dicta leg. fin. ff. de Prator. stipulat. Detrahendum namque est periculum negotiationis, labor, indu-

stria, & expensæ ut cum Molina, Toletò, Lessio, Silvestro, & aliis probant Salon dicta articuli 2. controvers. 9. condit. 6. Castro Palao dicta puncti. 8. numero 8. ex nostri juris Interpretibus plures adducti per Don Joan. Castillo dicta capite 1. numero 53. Hermosilla numero 321. Leotardus dicta questione 74. numero 35. cum sequentibus & Carleval. d. section. 6. numero 101. & sequentibus. His omnibus attendere posse, qui pecuniam cum usura quærit, incredibile est, ut experientia quotidiana demonstrat: qui mutuo dat, & lucrum quærit, multo minus, ob quod semper remanet suspiciosa conventio, dummodò probatio facti non fiat. Quod Aula in his solet arbitrari; quoties interesse lucris cessantis deductum in conventionem ab eo qui solutus est negotiari, excedit decemem, hoc est ad rationem decem pro centenario, usurarius contractus reputatur, etiamsi cetera requisita probentur; quia sic definitum habemus in leg. 9. titul. 18. lib. 5. recopilat. ubi Matienço & Azevedo; in eo verò qui negotiationi adductus non est, ad rationem dodrantis sive octo pro centenario. Et quamvis Hermosilla dicta glos. 4. numero 140. dicat quod in praxi in non solito negotiari conventio de interesse quincunci, sive quinquè pro centenario ex consuetudine licitum in Hispania reputatur, si de cæteris requisitis non constat, de jure contrarium procedit, & consuetudo in his nihil potest operari, ut probat Olea de cess. jur. titulo 3. questione 12. numero 26. cum sequentibus. quare ejus opinio attendenda non est.

Aliud est indicium, seu veriùs comprobatio improbi scenoris palliati, nempe, quando centum aurei mutuo dantur sub usura sive interesse decemce, & ex sorte decem statim detrahuntur, & instrumentum conficitur universæ summæ solvendæ intra annum. Quod ultra conventionem certæ quantitatè, quæ ex se suspicionem inducit, triplici vitio, sive fraude laborat. Primo quia mutuum celebratur, & contra naturam ipsius contractus plus in obligationem deducitur, quam verè numeratum est, dicta lege si tibi decem 17. ff. de pactis, cum aliis adductis supra numero 86. & iniquissimè quæ detrahuntur, in sortem compu-

computantur, Text. in leg. eos 16. §. super, Cod. de usuris. Docent Salon dicto articulo 2. controversia 10. vers. oppositum. Scaccia dicta ampliatione 8. numero 87. & 97. Gaito d. titulo 7. numero 1719. Castillo d. capite 1. numero 69. Narbona in leg. 15. titulo 17. libro 5. recopilationis, glos. 4. numero 45. Hermosilla d. glos. 4. numero 300. Leotardus questione 5. ex numero 1. & questione 61. numero 20. qui plures referunt. Secundo quia dum conventio fit sub expressa pactione solvendi decem pro centenario, mutuatarius in computatione decipitur, quia undecim, & amplius, solvit, cum reverè fors nonaginta tantum aureis constet: quod pariter iniquum est, & prohibitum in dicta lege 9. ut cum Lessio, Medina, Rebello, & Salas notat Castro Palao d. puncti. 8. numero 9. Leotardus dicta questione 72. numero 26. apud quos plures, & inter eos Alphonsum Narbona invenies: & transacto anno, si mora intercesserit, mutuatarius compellitur prestare usuras usurarum, seu interesse alterius interesse quod patitur nefarium est, Text. in l. placuit 29. ff. de usur. l. si non sortem 26. in prin. vers. supra duplum, ff. de condit. indebit. leg. ut nullo modo 28. Cod. de usur. leg. sanctimus, Cod. de usur. rei judic. leg. improbum 20. Cod. ex quo infam. irrog. Covarruvias, Gutierrez, Molina, Matienço, Azevedo, Castillo & Narbona apud Larream d. decisione 84. numero 8. cum duobus sequentibus. Castillo dicto capite 1. numero 55. Hermosilla d. glos. 4. numero 280. Leotardus dicta questione 5. numero 13. & questione 86. numero 7. cum sequentibus: novissimè Josephus de Rosa consultat. 50. numero 2. Rota Romana apud Melium post observat. forens. decisione 150. numero 49. Tertio, quia etiamsi per suppositionem concedamus quod usura decem licita sit, cum ea debeatur ex usu pecuniæ, quia usura ab usu denominatur, vel à pretio usus, ut docent dominus Covarruvias dicto libro 3. var. capite 1. in principio. Sotus in 2. 2. Sancti Thome, dicta questione 178. articulo 1. Salon dicta controversia 9. condit. 7. Petrus Gregorius dicto libro 21. syntagm. capite 3. numero 2. Felicianus Solis dicto libro 1. capite 5. numero 1. Castillo dicto capite 1. numero 69. Layman dicto libro 3. tractatu 4. capite 16. numero 1. Rosa dicto D.D. Laur. Mattheu, de Re Crim. Pars 1.

consilio 50. numero 7. Ante usum ipsius pecuniæ, solvere illius pretium injustissimum est: & in simili conventionem antequam debitor beneficium usus percipere possit, damnum usuræ centesimæ, fermè patitur quod omni jure prohibetur. Nam adhuc de jure civili, in quo usuræ ab Ethnicis tolerabantur, ut dixi, eisdem legibus expressè hujusmodi nequitia prohibebatur. Text. in d. leg. eos 16. §. super, Cod. de usur. ibi: interdicta licentia creditoribus ex pecuniis sanctori dandis aliquid detrahere, vel retinere. Neque hoc sub prætextu lucris cessantis, vel damni emergentis retineri potest, quia repugnat regulis quibus interesse consistit, ut probat Leotardus dicta questione 72. numero 26. qui alios laudat. Ob quod in Aula severissimè nequitia hujusmodi plecti solet, & ex eo solo contractus usurarius reputatur, ut pluries judicavi, & judicari vidi.

Solet etiam usura palliari sub nomine ejus quod interest in contractu emptionis, & venditionis, ut puta dum res carius venditur habita fide de pretio, & excessus computatur ad mensuram temporis tardæ solutionis, cap. in civitate, cap. consului de usur. ubi Doctores dominus Covarruvias dicto libro 3. capite 3. numero 9. latè Scaccia de commerc. dicto §. 1. questione 7. parte 1. numero 24. aliis relatis Leotardus d. questione 8. numero 26. Carleval. d. disputat. 8. sect. 5. n. 44. Quando ex anticipata solutione fructus colligendi, vel merces asportandæ exiguiori pretio venundantur, Gutierrez in pract. crimin. d. questione 83. numero 1. Leotardus d. questione 8. numero 27. Et ratio est, quia, ut ipse docet questione 24. numero 6. isti contractus verbo tenus emptiones, & venditiones apparent; sed inest mutuum, quia fingitur pretium datum venditori, & ab eo ad emptorem profectum, atque in mutuum convertitur, vel mutuum datum, ut postea in pretium convertatur, & usura simulatur, vel in excessu pretii pro tarda solutione: vel in diminutione iusti pretii pro anticipata præstatione, quod lucratur qui pecunias offert, vel merces. Sic similiter quando res venditur habita fide de pretio majori, ut statim emptor vendat villiori pretio, ipsi primo venditori seu alii nomine illius, in pecunia numerata

ta, quod apud nos *Moatra* nuncupatur, de qua nequitia idem Gutierrez *d. questione 88. numero 3.* & Leotardus *d. questione 24. numero 25. cum sequentibus.* Et hoc punibile est tam in vendente, quam in emptore; in primo ex usuraria pravitare, cum pallietur mutuum minoris pretii, & exigatur usura in majori. In emptore punibile erit poena severissima censuræ, cum hoc solum fiat à perditissimis aleatoribus; vel certe tanquam prodigis, interdicti eis debet bonorum administratio, qua abutuntur. Sed frequentius quando res fructifera, vel usui maximè necessaria, tenuissimo pretio venundatur, sub pacto de retrovendendo, eo fine, ut emptor fructus, vel usum rei lucretur per totum tempus, quo pretium à venditore non restituitur. Mutuum enim reverè celebratur datis pignoriibus, quorum fructus, vel usus emptori cedant, quod *Antichresis* dicitur. Et licet jure civili toleraretur. Text. *in leg. si pecuniam 33. ff. de pignorat. act. leg. 2. Cod. de pact. inter emptorem & venditorem, leg. ex prædiis 11. leg. si ea pactione 14. leg. si ea lege 17. Cod. de usur.* jure Canonico expressè prohibetur tanquam contractus usurarius *capite 1. & 2. de usur.* ubi communiter Doctores. *Duardus ad tit. de usur. capite 1. Cujacius in capite ad nostram de jur. jurand. Hotomannus in tractatu de usur. cap. ult. vers. quamobrem & disputat. de senore, capite 4. Thesaur. decisione 78. numero 3. Petrus Gregorius libro 23. synagm. capite 5. numero 1. Antonius Faber in Cod. lib. 2. definitione 2. titulo 26. numero 2. & 4. in not. aliis relatis Leotardus questione 11. numero 7. cum sequentibus, & questione 13. ex n. 1. Castro Palao *d. disp. 4. punct. 19. n. 7. ad fin.**

109 De jure nostro iste contractus expressè usurarius dicitur est *in dicta lege 4. titulo 6. libro 8. recapitationis, tradunt dominus Covarruvias d. libro 3. variar. capite 8. numero 4. Didacus Perez in d. leg. 1. titulo 2. libro 8. Ordin. in glos. verb. 7. entre tanto. Azevedo in d. leg. 4. ex numero 7. Gutierrez in pract. crimin. question. 82. per totam. Hermosilla *d. glos. 4. numero 117. & Castro Palao d. punct. 19. numero 2. cum sequentibus.* Qui uniformes tenent, quod in simili contractu plurimum elicitur ex circumstantiis facti, & ex conjecturis*

resultantibus ab eo, arbitrio prudentis Judicis æstimandis; nam si vera venditio intercedat, & diminutio pretii ob pactum de retrovendendo iniquitatem non contineat, vitio sceleris carere videtur. Si autem maximum sapiat, & pretium immoderatè exiguum fuerit, usurarius habeatur. Sed in hac Curia frequentissimè celebratur, præsertim in supellectilibus, non sub specie venditionis, sed mutui, datis pignoriibus ea lege, ut creditor eis utatur, & dici solet à *gozar, y gozar.* In quo cum accessio fortis præstetur in re pretio æstimabili, vera usura committitur, quia contra naturam mutui est, ut dixi *d. n. 86.* quidquid extra sortem lucretur.

Sub specie depositi scæus pariter frequentissimè exercetur, dum actum est, ut tantundem reddatur, & dotranus usuræ sive interesse solvantur. Text. *in leg. si ventri, §. in bonis. ff. de privileg. creditor. cum aliis adductis per Leotardum d. questione 8. numero 18. cum sequentibus.* De jure nostro est Textus *in leg. fin. d. titulo 18. libro 5. recapitationis.* Quare perperam Hermosilla *d. glos. 4. numero 139.* dixit licitum esse deponere pecuniam apud mercatorem cum aliquo lucro; quia est expressè contra dispositionem hujus legis, quæ in viridi observantia est, ut restatur doctissimus Olca *de cessione juris, dicto titulo 3. questione 12. numero 24. ad finem.* Mutuum enim sub specie depositi celebratur, dum dominium pecuniæ depositario conceditur, Text. *in leg. 2. §. 2. l. 9. in fin. §. de reb. credit.* pluribus Leotardus *ubi proximè, & dum periculum accipientis fit, idem Leotar. q. 25. n. 64.* Neque cohonestari potest ex eo quod negotiatori tradatur, qui lucrum capit ex ea pecunia, ita ut non tam mutuatarius depositariusve dicatur, quam socius negotiationis, cum societas consistere possit, si unus pecuniam, alius industriam, & laborem præster, ut notat Baldus *in leg. cum quidam 31. §. præterea, numero 10. Cod. de jure dotium.* Quod si periculo dantis negotiatio fieret, contractus licitus esset, dum damnus, vel lucrum commune sit, Text. *in leg. 1. §. toto titulo, ff. pro socio, Antonius Gomez variar. libro 2. capite 5. numero 1. & pluribus adductis Ayllon numero 6. cum sequentibus.* At quando

do periculum cedit solo recipienti, & dans pecuniam solum admittitur ad lucrum, illicitum est, & usurarium, quia societas leonina celebratur, Text. *in l. si non fueris 29. §. Aristo, ff. pro socio.* Dominus Covarruvias *dicto libro 3. variar. capite 2. numero 3. Antonius Gomez d. capite 5. numero 5. vers. secundo insertur.* Leotardus *d. questione 8. numero 10. Carleval. d. titulo 3. disputatione 7. numero 15. & 16. Ayllon d. numero 6. vers. usuram committit,* qui plures alios adducunt, tam ex nostratibus quam exteris. Neque his opponitur traditum ab ipso Carleval. *ibidem, numero 17.* quatenus pluribus adductis contrariam sententiam adstruere videtur. Nam *numero 18.* dicit quod Doctores eam sectantes requirunt ad justificationem similis societatis, quod celebrantur tres contractus societatis præstationis operarum, & assicurationis: nos autem loquimur de simplici deposito ea lege, ut mercator solvere teneatur aliquid ad rationem sortis, & restituere ipsam sortem liberam ab omni jactura, quod est diversum & prohibuitur per *d. leg. final. sub poena criminis usurarum, & in Bulla Sixti V. dat. die 25. Octobris 1586.* quæ est *45. apud Laërtium Cherubin. d. tom. 2. fol. 553.* Sed quia in his & similibus quæ in oculo sunt, nemo est qui conquaratur, nec facile apparet de corpore delicti, & de indiciis necessariis ad aperendam viam inquisitioni, raro aut nunquam in judicium criminale deducuntur.

Cambii sub specie usura multiplex committitur, sed præcipue dum cambia sicca celebrantur, hoc est, quando litteræ non sunt, vel cum effectu non mittuntur ad loca nundinarum, neque transfuso, vel permutatio pecuniarum realiter non fit. Sic enim cavetur in dicta Bulla Pii V. de qua *suprà numero 64.* De cujus materia tractant Salo *in disputat. de Camb. parte 2. questione 4. articulo 2. controversia 9. per totam Castro Palao de justitia & jure tractatu 32. de just. comm. disputatione 7. puncto 14. per tot. Trullench. d. libro 7. decalog. capite 22. dubio ultimo. Marius Muta ad pragmatic. Sicil. tom. 1. titulo 74. Scaccia d. commerc. d. §. 1. parte 1. questione 7. numero 19. Gaito D.D. Laur. Matheu, de Re Crim. Pars 1.*

de credito *d. capite 2. titulo 7. numero 1241. & numero 1636. Leotardus de usuris questione 25. ex numero 43. & q. 24. per tot.*

Quomodo autem cambium Siccum exerceatur explicat Gaito *dict. capite 2. titulo 7. numero 1246.* dicens quod tripliciter contingere potest. Primo quando quis pecuniam Martini recipit, ut eam Hispali solvat ad destinationes nundinas, & confectis litteris in forma assueta, mittuntur ad eum locum ubi solutio ex conventione facienda est, in loco ipso contractus, ubi cambium datum fuit. Sic tenent præter Gaitum Scaccia *d. questione 7. parte 1. num. 12130. & parte 3. limitatione 11. numero 1.* Leotardus *d. questione 24. numero 72. Salon d. controversia 9. versicul. si autem, & Trullench. d. cap. 22. dub. fin. numero 1.*

Secundo quando litteræ mittuntur ad locum nundinarum, ubi dator litterarum nec pecuniam habet, neque socium negotiationis, aut infisitorem, neque habere sperat. creditum (hoc est qui ejus nomine solutionem faciat) & demum procurator Camporis, in illis nundinis accipit pecuniam cum cambio, & recambio, & litteras mittit, ut fors cum interesse solvatur in eodem loco, ubi data pecunia fuit, sub qua simulatione solvuntur usuræ. Sic tenent Lupus *in capite, naviganti, numero 65. de usur. Genoa de scriptur. privat. libro 3. de lit. Camb. numero 8. & 9. Scaccia d. parte 3. limitatione 1. numero 1. 4. & 6. Leotardus d. questione 24. numero 72. Gaito d. titulo 7. numero 1247. Sorus de justitia & jure d. libro 6. questione 10. articulo 1. in fin. Salon ubi proximè, contr. 12. Trull. d. c. 12. dub. 5. n. 3.*

Tertio modo committitur, si Camptor dederit, pecunias absque litteris, ut inde ad quatuor menses restituatur cum lucro nundinario, de quo Lupus *ubi proximè, num. 66. & 67. Filiucius question. moral. tom. 2. tractatu 15. parte 2. titulo de censib. & Camb. cap. 4. numero 349. Scaccia d. §. 1. questione 7. parte 3. limitatione 5. numero 1. Leotard. q. 24. n. 69. Gaito d. tit. 7. n. 1248. Salon d. q. 4. art. 2. contr. 9. vers. 1.*

- 124 Sed quia Cambia nundinalia in his Regnis Castellæ prohibita reperiuntur per Textum in leg. 13. titulo 18. libro 5. recopil. ubi Matienço & Azvedo, Ad leg. 1. dicto titulo 18. numero 2. P. Molina de *Justitia & jure* *disputatione* 405. Navarrus capite 17. numero 290. Salas de *contract. camb. dubio* 10. Castro Palao dicto *tractat. 32. disputatione* 7. punct. 6. numero 3. & 4. Alphonfus Narbona in leg. 13. titulo 18. dict. libro 5. glossa 3. Hermosilla dict. *glos.* 4. numero 257. Catleval. dict. *titulo* 3. *disputat.* 8. *sectio* ne 7. numero 131. In his non immoramur. Neque immeritò prohibitio facta fuit, quia cambium nundinale dicitur labyrinthus conscientie, præcipitium salutis, conflictus sine concordia, pelagus sine portu, & ædificium sine fundamento. Sic aiunt Scaccia dicto §. 1. *questione* 2. numero 26. & Gaito dicto capite 2. titulo 7. numero 1060. Et si in usu fuisset, cum materia, forma, & usus cambiorum obscura nimis est, difficilis atque intricata, eo quod Mercatores seu numulati, novis machinationibus negotiationem hanc sic confundunt, ut ex Jurisperitis, & Theologis plurimi reperiantur, qui facta cambiorum non percipiunt, jura non penetrant, neque rationem inveniunt, ut notat accuratè Soto, de *Justitia & jure*, *questione* 8. articulo 1. & *questione* 11. articulo unico, & cum eo Gaito dicto *titulo* 7. numero 1165. Cum autem ad judicium criminale, mediante quo similes fraudes compescendæ sunt, requirantur probationes meridiana luce clariore, juxta Textum in *leg. final. Codice de probation. cum vulgat.* adductis per Giurba *conf. septuagesimo secund. num. 15 & sequentib.* ex defectu probationum criminale in cambiis commissis inaccessibleia facta sunt: quare Reges nostri justissimè huic iniquitati viam præcluserunt, cambia nundinalia in his Regnis omninò prohibentes, quorum iniquitates doctissimè, ut solet demonstrat Sarmiento libro 7. *selectarum*, capite 2. per tot.
- 128 Quare deploranda est calamitas Valentinarum, qui sub prætextu pragmaticæ promulgatæ anno 1619. Cam-

bia nundinalia sub certis solemnitatibus permittentes, plurima patrimonium nobilium consumpta lugent, & in dies lugebunt. Cui jacturæ occurrere non est facile, nisi similis prohibitio intercedat. Ratio autem quare derogari debeat hæc dispositio, meo quidem judicio, est quia temporis lapsu, vel injuria, cessat ratio propter quam lata fuit: & cum Lex sit ordinatio rationis, ut docet Divus Thomas 1. 2. *questione* 90. articulo 1. in corp. & probat Textus in *leg. 2. Digest. de legibus*, capite *consuetudo distinction.* 1. sic tenent Suarez libro 1. de *legibus*, capite 9. Vasquez in 1. 2. *disputatione* 151. capite 2. Salas de *legibus disputatione* 8. *lectione* 8. numero 50. Bonacina *disputatione* 1. de *legibus*, *questione* 1. punct. 1. numero 9. Castro Palao in *operibus moralibus tom. 1. tractatu* 3. *disputatione* 1. punct. 1. numero 4. Rocafull. in *prax. moral. tom. tertio*, libro 1. de *legibus*, capite 2. numero 4. Morla in *empor. titulo* 1. numero 15. Augustinus Barbola in *collectan. capite* erit autem *lex. de constitution. numero* 2. cum *sequentib.* Adamus Cotzen libro 5. *politic. capite* 12. cum aliis per me adductis de *regno Valent. tom. 1. capite* 3. §. 1. numero 96. & 99. eum *sequentib.* cessante ratione, cessat essentia ipsius legis. Quod autem cesset ratio ipsius pragmaticæ, sicut & ratio constitutionis Pii V. clarissimè apparet. Nam ea consistit in utilitate commercii, quod fovere de Republica est, ut omnes Politici tenent, & mirabiliter demonstrat noster Saavedra *Symbol. politic. 68. per totum*. Hoc consequetur antiquitus quando in oppido Metinæ del Campo nundinæ opulentissimæ celebrabantur, Mercatores ex tota Hispania, & aliis Regnis concurrebant, ut commercia exercebant, sicut exercebant: ad quod necessaria erat transportatio pecuniarum, ut latè refert Michaël Salon in dict. *disputatione de Cambiis*, *questione* 4. articulo 1. *controvers. 6.* Sed hodie omnia evanuerunt, nundinæ non celebrantur, mercatores non concurrunt, merces non asportantur, neque in eo oppido vestigium aliquid remanet pristinæ opulentie. Imò sicut plura oppida Hispaniæ, hoc incolis catet, adco

- adco ut difficiliter qui subscribere litteras sciat, neque cui credatur summa centum aut eorum, inveniri potest: quod oculis cernitur, & innegabile omninò est: ergo ratio dispositionis evanuit, & chimerica remanet solemnitas transmittendi litteras, ad eum locum in quo non solum solutio aliqua non fit, verum fieri non potest: ac per consequens licet verbo tenus solemnitates ab ipsa pragmatica requisitæ, observatæ videantur, hæc simulatæ sunt, aut verius supposititæ: cum impossibile sit, quod fiant ad eum finem, ad quem requiruntur. Et sic omnia cambia nundinalia, quæ in urbe & Regno Valentie exercebantur Sicca & usuraria sunt, prout in ipsa *pragmatica capite* 1. statutum est ibi: *declaramos por illitos usurarios y feneratorios todos los cambios en que no interviniere ni se cambiaren efectivamente letras à Medina del campo, o al lugar donde se hazen las ferias.* Ubi enim nundinæ non sunt non sunt transmittendæ litteræ, & si remittantur idem est ac si non remitterentur, cum ibi commercia exerceri non valeant.
- 131 Secundo, quia causa justificativa horum cambiorum est, necessitas quam mercatores habere possunt, & solent, devehendi pecunias ad loca nundinarum, ut ubi commercia exerceant, merces emendo, ut considerat Salon dicto articulo 2. *controvers. 1.* & Leotardus dicta *questione* 24. numero 36. & 37. Et hoc aut realiter contingit, aut simulatè: si realiter, dum non adit diversitas in valore pecuniarum, mercator qui dat pecunias Valentie, ut recipiat Metinæ, debet solvere recipienti pretium laboris, periculi & impensarum, quæ omnia præstat in transportatione ipsarum, ut bene notant Scaccia dict. §. 1. *questione* 1. numero 441. & *questione* 7. parte 1. numero 33. & 44. doctissimus Sarmiento libro 7. *selectar. capite* 2. numero 7. & 8. pluribus adductis Leotardus dicta *questione* 25. numero 18. At hoc solvere compellitur ipse qui ea omnia præstare tenetur, hoc est qui accipit pecunias, ut alibi solvat: igitur campfor non commercium contide-
- D.D. Laur. Mathan, de Re Crim. Pars I.

rat, sed quæstum injustum, quando neque periculum subit, neque laborem, aut impensas præstat. Si enim simulatè fiat, quia intentio dantis non est commercia exercere, sed solutionem simul cum lucro consequi ad terminum assignatum in eodem loco, cessat ratio lucrandi interesse, quia sua non interest quod solvatur in loco ubi nullum commercium exercere vult, vel potest: nam ut debeatur, requiritur liquida probatio lucri cessantis. Quomodo enim probabitur in eo loco, ubi neque com-

134 mercia exercebantur, neque exerceri possunt? Quare Laurent. de Rodolphis in *capite consultus parte* 3. numero 1. de *usur.* Soto dict. libro 6. *questione* 8. articulo 2. *column. penultim. in gener.* 3. Scaccia dict. *questione* 7. parte 1. numero 20. Sarm. dict. capite 2. numero 7. & 8. Leotardus dict. *questione* 25. numero 40. Cambia hæc nundinalia in quibus non est vera trajectio pecunie sicca esse tenent, atque usuraria. Hæc sunt quæ Valentie exercebantur, & quod pejus est, à personis quæ neque commercia noscunt, neque quid in oppido Metinæ fiat intelligunt, medianibus quibusdam proxenetis, & nundinariis, qui tanquam instrumenta pravitatis exterminandi essent ab urbe, & orbe.

Tertio, quia natura Cambii consistit in reali commutatione pecuniarum, in locis re ipsa diversis, ut omnes tam Theologi quam Jurisperiti tenent: & sic oportet omninò quod Campforarius habeat in eo loco ad quem cambium fit, pecuniam propriam, amici, vel focii ex qua adventiente termino nundinario solutio fiat, & quod campfor hæc sciat certè, vel saltim probabiliter, alias cambium siccum erit, sive ignoraverit, sive dubius extiterit, ut doctissimè probat Salon dicta *questione* 4. *controvers. 7. §. de prima conditione veri cambii, vers. sequitur usque ad finem*, sic similiter, Silvester, Caietan. Sotus, Navarrus, Molina, Rebel. Lessius & Salas adducti per Castro Palao dict. *disputatione* 7. punct. 8. numero 1. Galpatudus Rodrigu. 2. dict. libro 3. *questione* 5. numero 15. Caval-

E c 3 can.

cân. *decision. 12. numero 21.* Ex hoc capite frequenter claudicant cambia in Regno Valentia; nam agricolis, fabris, adolescentulis, & aliis similibus, dantur & quis certitudinem moralem habebit quod pecuniam promptam invenient aut habebunt in oppido Metina? hæc relaxari facillima sunt, sed in effectu ferme impossibilia.

- 137 Tandem dicta pragmatica sustineri nequit tanquam si Princeps dispensare possit in materia usurarum, quia, ut dixi in *dict. clement. unica*, cautum est quod usuras permitten-tes gladio excommunicationis feriatur. Neque velle credendum est, quando nec Pontifex in his dispensare potest, *Textus in capite super eo de usur. Ansaldo de iurisdic. titulo 9. capite 1. numero 54. Dominus Larrea dict. allegation. 23. numero 42. Don Josephus Vela dict. dissertation. 28. numero 59. Escobar à Corro de utroque foro in initio, numero 131. doctè Olea dict. titulo 3. questione 12. numero 28.*
- 139 Neque consuetudine licita usuraria pravitas fieri possit etiam si totius orbis observantia concurreret, *Textus in capite dilectos, de excess. Prælatorum, Peguera d. decision. 30. numero 15. Farinacius quest. 95. numero 6. Cens. de Censibus questione 88. numero 9. Gutierrez practica. libro 1. questione 181. numero 4. & 12. Ciriacus controvers. 68. numero 25. Carleval. de iudic. libro 1. disputation. 8. section. 1. & 6. Olea ubi proxime questione 12. numero 33. cum sequentibus* Ac per consequens nullo iure dicta pragmatica sustineri valet. Sed hæc extra materiam nostræ controversiæ sunt? scitè, atque eruditè plura tradidit doctissimus Salon; sed cum ante promulgationem illius pragmaticæ scripserit, hæc adnotare decrevi, ut utilitati meorum concivium consulatur: & iudices illius Regni percipiant quomodo materiam cambiorum cautè tractare debent.

- 140 Ex quibus omnibus facile inferri valet, quod Aula suprema criminum observat in punitione hujus criminis, de cuius detestatione plura per Doctores passim tradita reperiantur. Sed accuratius omnibus sapien-

tissimus Franciscus Sarmiento *dict. libro 7. capite 2. numero fin.* Quibus addendum quod Tacitus de Mathematicis, & Ariolis tractando dixit, *Genus hominum quod semper vetabitur, & semper retenebitur.* Sic usurarii, fœneratores, numularii, licet semper coercantur pœnis, semper ad vomitum tanquam canes rabidi, revocabuntur.



CONTROVERSIA XLI.

De pluralitate furorum per minorem patratorem & de pœna.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species refertur.
- 2 Furtum tribus vicibus reiteratum ex generali consuetudine pœna mortis plectitur.
- 3 Furtum ter reiteratum an requirat ad pœnam capitalem quod pro primo, & secundo condemnatio precedat.
- 4 Textus in leg. capitalium, §. solent, ff. de pœnis expenditur.
- 5 Dispositio hujus Textus maximè in furto procedit.
- 6 Reiteratio in delinquendo incorrigibilitatem comprobatur.
- 7 De iure Hispano antiquitus secundum furtam pœna capitali plectebatur.
- 8 Tertium furtum de iure Hispano capitali pœna plectendum hodie.
- 9 Dum diversitas rei, & temporis comprobatur.
- 10 Minori delinquenti subveniens non est pœnam mitigando, & de iure Hispano necessariè si decimum septimum annum non

adimpleverit.

- 11 Minori incorrigibili ratione ætatis non debet subveniri.
- 12 Præsertim in crimine furii.
- 13 Lex loquens in casu speciali interpretatur leges generales eas limitando.
- 14 Furti crimen, aut civiliter, aut criminaliter persequi potest.
- 15 Si lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.
- 16 Minor ratione furii potest morti tradi.
- 17 Contumacia rei in delinquendo pœnam auget usque ad capitalem.
- 18 Delicta non debent remanere impunita.
- 19 Lex Hispana necessitatem imponit mitigandi pœnam minoribus decem & septem annis.
- 20 Mitigatio pœna ratione ætatis ex lege Hispana procedit in crimine furii.
- 21 Impubes doli capax ex furto flagellis caditur in ipso carcere ad correctionem.
- 22 A pubertatis proximitate usque ad decimum septimum iudicè minor punitur, sed mitius.
- 23 A decimo septimo, usque ad vigesimum quintum arbitrariè punitur usque ad mortem.
- 24 Decisio Aule.

Josephus Valdes, ætatis duodecim annorum accusatus de pluribus furtis, flagellis cæsus fuit ad correctionem in ipso carcere; quia ætas non erat capax majoris coercitionis. Citò alia furtâ commisit; & cum ejusdem exceptionis ope liberari conatus esset, Aula decrevit mittendum esse ad arcem Africae, ut in ea serviret in quantum ætas permitteret. Remissus modo solito, custos arcis cum admittente noluit, quia toto brachio dexte-

ro arido reperto, inutilis ad opera videbatur. Rursus furandi consuetudinem continuavit; & condemnatus fuit ad pœnam ignominie vulgo *vergencia publica* & exilii. Quarto ad vomitum rediit; exilii pœnam frangendo, vasque argentea, non modici valoris, à diversis domibus contactando ingeniosissima calliditate. Dubitatur in Aula; quæ pœna puniri posset.

Et videbatur prima facie, quod juxta generalem consuetudinem totius Europæ, quia ter, & pluries furta commiserat, pœna capitali puniendus erat, ut pluribus probavi *controvers. 36. numer. 34.* Et cum hic reus convictus, & confessus esset de plus quam triginta furtis, similis dispositio, seu generalis observantia in eorum locum habebat; adhuc secundum mitiorem sententiam, per quam requiritur quod pro primo, & secundo furto condemnatus repertiatur; juxta *Textum in leg. capitalium, §. solent. Digest. de pen. ibi: sustibus casu dimittuntur; quod si ita correcti in eisdem deprehendantur, exilio puniendi sunt; nonnunquam capite plectendi, cum sepius seditiosè, & turbulenter se gesserint; & aliquoties deprehensi, tractatis clementius, in eadem propositi reverentia perseveraverint.* Quæ quidem dispositio, licet in crimine seditionis versetur, ad cetera crimina sepius reiterata interpretantur *Tiberius Decian. consilio 24. numero 16. vol. 3. Castaneus ad consil. Burgun. Rubric. 1. Paragraph. 5. verb. quod si incidat, numero 1. vers. credo tamen; Boët. decision. 219. numero 1. Tuschus conclusio. 660. numero 7. cum sequentibus littera S. Farinacius questione 23. numero 8. & questione 167. numero 69. Antonius Gomez libro 3. Variar. capite 5. numero 9. Antonius Matheus libro 47. Digest. titulo 1. capite 2. numero 11. Berliquinus tom. 5. practica questione 43. numero 108. Carpzov. parte 2. practica criminal. questione 78. numero 7. cum sequentibus.* Et in terminis hujus controversiæ Antonius Faber in *Codece libro 9. titulo 25. desinit. 18.* ejus verba sunt. *Ex causa furii jam condemnatus; flagris cæsus, & auricula unius amputationem passus, si furtum rursus faciat*